MONUMENTI LEGALI

DEL

REGNO SARDO

[DAL SECOLO XII AL XV]

[RACCOLTI] ED [ILLUSTRATI]

PER CURA

DI UNA SOCIETÀ DI GIURECONSULTI

FASCICOLO 1.°

TORINO
PRESSO GLI EREDI BOTTA
[illegible]

[illegible]

STATUTI D'AGLIÈ

CAPITULA ET STATUTA

TERRE ALLADII

AN. MCCCCXLVIII.*

Questi Statuti vengono in luce per la prima volta. — Nessuno, per quanto sappiamo, ne ha sinora fatto menzione.

La nostra stampa è condotta sull'Originale medesimo che, integro (meno una carta dell'Indice) e ben conservata, si custodisce oggidì in Torino nella Biblioteca del Consiglio di Stato (Archivia de' MSS.). — *Esso è un codice membranaceo in 4.°, di carte 25. — Le due prime sono senza numero e figurate: l'una cioè rappresenta la Vergine seduta col Bambino in braccio; l'altra Gesù crocifisso e in piedi presso la croce le due Marie. Queste miniature sono della grandezza della pagina, toccate a penna grossolanamente e quindi acquerellate a varii colori. — Il testo e in fine ciò che rimane dell'Indice hanno una sola numerazione (carte I — XXIII.). — Rubriche ed Indice sono in inchiastro rosso. — Le iniziali rosse parimente e alcune con ornamenti di tratteggio. — Meno l'autentica del notaio, tutto il codice è della stessa mano.*

In nomine domini amen.

Infrascripta sunt capitula et statuta terre alladii facta et aprobata per eggregios dominos dicti loci tam ex ueteribus statutis quam etiam ex nouis statutis uidelicet institutionibus et correctionibus eorundam.

In nomine dei patris et filii et spiritus sancti
Yhesus christus sacri uentris fructus
Pie matris prece ductus
Sit uia dux et conductus
Statutorum in hoc opere

Et vos Rectores probos sumite consultores rectos tenentes mores et solicitis curis incedite tramitem iuris, publica priuatis preponite comoda gratis ne ipsorum que vestras ledat animas diuina potestas nam in doctrina profetica dicitur *legem pone michi domine* ydeoque eruditi diuina gratia informati domini iohannes filius condam domini ludouici henricus filius domini oberteti iacobus et marchetus fratres et filii condam domini anthonii iohannes michael filius condam domini martini suo nomine et nomine ludouici guideti et iacobi fratrum ipsius, marchetus et robaldus fratres et filii domini stepheni suo nomine et nomine oberteti ipsorum fratris, omnes domini alladii et ex comitibus sancti martini quilibet pro rata sibi tangente salubri conscilio decreuerunt ipsis et suis hominibus loci Alladii legem imponere qua ipsi possint iuste viuere secondum iuris precepta que sunt tria, videlicet honeste uiuere nemiuem ledere et suum uniquique tribuere. Verum quia ordo est debitus atendendus, cum sit rerum suo loco colandarum debite dispositio per quem singula tenent suum locum sortita deceruunt et ne querentibus ipsorum statutorum materia facilior aditus tribuatur, qui aditus originem cepit ex veteribus capitulis loci alladii factis et approbatis per spectabiles et potentes dominos iohaninum ludouicum guidetum et dominum leonem de castronouo administratorem puerorum silicet propositi eorum nominibus et vice et nomine domini antonii eius fratris quilibet pro sua parte et rata tangente lecta et publicata de mandato ipsorum dominorum et cum conscilio et mandato domini francisci de puteo de yporegia iuris periti potestatis Alladii sub anno domini M° CCCLV° die penultima mensis martii, hoc statutorum corpus per duos libros secondum ipsa duo iuris precepta primus est de maleficiis specifice difinitus, secundus est de iure redendo. Vnde congregata et conuocata vniuersitate ipsius loci alladii sono campano et voce precona, et specialiter in platea alladii de mandato dominorum suprascriptorum et thimotei de albertaciis de quargnento potestatis dicti loci alladii more solito et loco consueto specialiter pro hoc negotio exemplendo ad quam quidem vniuersitatem

et conuicinantiam conuenerunt et presentes fuerunt suprascripti domini iohannes henricus iacobus marchetus iohannes michael et marchetus lectis et ibidem publicatis infrascriptis statutis de mandato ipsorum dominorum et per me thimoteum de albertaciis antedictum potestatem alladii ipsi omnes et singuli domini vnanimes et concordes pro sua rata ipsorum neminem discrepante ipsi infrascriptis capitulis vim et robur acomodauerunt statuentes et decernentes exspresse eis..... (*deinceps?*) per ipsos dominos et homines et suorum successores perpetuo stari debere tamquam eorum iuri municipali in omnibus et singulis super quibus est statutum et specifice difinitum, in ceteris vero iuri communi stari et illud obseruari debere precipientes dicti domini inde huiusmodi publicationis de cetero statutorum publicum instrumentum fieri per me Thimoteum de Albertaciis sub anno domini M° CCCCXLVIII° die XX mensis augusti.

I. *De potestate ponendo per dominos*

In primis quidem statutum est quod anno singulo per dictos dominos ponatur vnus potestas qui potestas suum deferat sacramentum potestarie dicti loci officium exercendi per unum annum et tantum plus quantum fuerit de bona voluntate ipsorum dominorum et dum bene fecerit et se recte gubernauerit et bona fide remoto odio amore timore prece precio et alio inhonesto et hoc in manibus dictorum dominorum et hoc in loco publico congregato populo presente et vidente ac audiente dictum iuramentum prestandum de conseruando statuta in presenti volumine contenta omnesque prouisiones et informationes bonas ac antiquas consuetudines, neminem ledere vultra formas statutorum prouisionum et reformationum tam etiam factorum quam in futurum edendorum et edendarum si que fieri contingerit seu aliter prouideri et reformari iuxta mores et consuetudines diucius obseruatas.

II. *De consilibus et eorum officio*

Item statutum est quod consules qui sunt et pro temporibus fuerint debeant in fine sui officii elligere quatuor homines probos et dare in scriptis nomina eorum potestati et cridendariis dicti loci et dictus potestas cum cridendariis ellegant de ipsis quatuor illos duos quos videbunt esse suficienciores in exercendo dictum officium consolatus et ipsi consules deferant sacramentum eorum in manibus domini potestatis siue eius locumtenentis de exercendo eorum officio per dictum annum bene et fideliter remotis odio amore et timore amicitia et palantela et omni alio inhonesto. Qui consules elligant et ponant duodecim cridendarios, vnum clauarium tres existimatores sex difiniatores videlicet duos de alladio duos de cazadio duos de macugnano et ponant duos camparios qui omnes sint bone condicionis et fame et quod eorum deferant sacramentum in manibus dicti potestatis seu alicuius sui subrogati siue locumtenentis de eorum et cuiuslibet officio fideliter exercere remoto

odio amore et timore et quolibet inhonesto bonos mores consuetudines seruari consuetas nullatenus infringendo in libro dictorum consulum scribendorum per notarium dictorum consulum de mandato domini potestatis de exercendo dictum eorum officium ydonee et legaliter. Et quod dicti consules ponant vnum notarium qui scribat in libro omnes acusas factas de dampnis datis in bonis campestribus tam per personas et homines alladii quam eorum bestias, per camparios comunis et per alias singulares personas et qui scribat et ponat in dicto libro omnes exstimos et existimaciones factas per existimatores dicti loci et habeat pro qualibet libra soldum vnum et pro quolibet precepto facto per consules alicui persone denarios octo et dictus notarius iuret de exercendo dictum eius officium in manibus dicti potestatis ut supra dictum est

III. *De banpnis condendis per potestatem et consules*

Item statutum est quod consules alladii cum potestate bis in anno vna cum exstimatoribus debeant cridendare bana banorum de offensis factis tam per bestias quam per personas in posessionibus dictorum hominum de quibus bannis debeant dare terciam partem dominis aliam terciam partem comuni dicti loci aliam terciam partem retinere pro se met pro sua fatiga.

IIII. *De non apropriendo sibi alienam possesionem*

Item statutum est quod qui apropriauerit sibi alienam posessionem de facto sibi ipsi iusticiam ministrando animo et intencione priuandi posessorem sua posessione uel quasi soluat pro quolibet et qualibet vice soldos sasaginta et sit ipso facto dictus spolians a suo iure quod haberet in re ipsa priuatus et spoliatus in posessionem rei ipsius reducatur ita quod omne ius alterius spoliantis aquiratur eidem spoliato

V. *De non faciendo bossem in sua possesione*

Item statutum est quod si quis fecerit in sua possessione seu extra aliquam bossam pro ucnando et capiendo saluxinas teneatur et debeat dictam bosam propalezare et significare per cridas uel saltim in eclexia coram populo semel in anno et in principio construtionis dicte bose ne dapnum possit indo suis vicinis incurere et hoc sub pena solidorum viginti et emendet dapnum passo fiendo

VI. *De non percuciendo alienas bestias*

Item statutum est quod si quis percusserit alienam bestiam quadupredem cuius gradus status et condicionis existet et cuius precii et ualoris tam magni quam parui siquidem de lapide uel baculo siue cum alio instrumento sine lesura soluat pro quolibet ictu et qualibet bestia et qualibet uice soldos quinque et si lesuram fecerit soluat

soldos decem. Si vero de ferro percusserit soluat soldos viginti. Si ossum fregerit soluat solidos quatraginta et restituat dapnum passo et non intelligatur bestia nixi sit quaduprde (*sic*) ut supra. Si vero anserem seu galenam percusserit soluat solidum vnum et restituat dapnum passo

VII. *De non suttendo rugiam molendinorum*

Item statutum est quod si quis sutauerit vel deuiauerit rugiam molandrinorum causa piscandi siue adaquandi prata siue quauis causa tempore quo dicta molandrina moli debent soluat pro quolibet et qualibet uice soldos decem et emendet dapnum passo. Et si in diebus in quibus non moluerit sutauerit uel deuiauerit ille qui ipsam deuiauerit uel sutauerit debeat de presenti reducere ad suum statum prestinum. Et qui ipsam ceperit uel sutauerit in die sabati post vesperos causa aquandi prata quod ipsam reducere debeat in suo statu prestino die lune subsequenti infra una hora diei et hoc sub pena solidorum quinque et restituat dapnum passo

VIII. *De non dando dampnum in possesionibus dominorum*

Item statutum est quod si quis offensionem dederit cum personis et bestiis in posessionibus dominorum que non sunt nec fuerunt posessiones donee sed sunt cum aliis posessionibus hominum dicti loci intermiste soluat duplum de banno et de emenda quam si dapnum dederint in posessionibus hominum dicti loci. Et si aliqua bestia bouina seu caualina dapnum dederit in vineis campis altinis doneys dictorum dominorum soluat pro banno pro quolibet et qualibet uice et bestia soldos decem et totidem de emenda. Et si fuerit capra que dapnum dederit in uineis altinis seu ortis doneis dictorum dominorum soluat soldos viginti pro qualibet et qualibet vice et totidem de emenda. Et si fuerit bestia bouina caualina seu caprina et dapnum dederit in pratis doneis dictorum dominorum soluat pro qualibet et qualibet vice soldos quinque et totidem de emenda. Si fuerit bestia agnina soluat pro banno soldos duos pro qualibet et qualibet vice. Et quelibet bestia porchina que reperta fuerit in ortis plantatis dictorum dominorum soluat pro qualibet et qualibet vice soldos decem et totidem de emenda. Et si reperta fuerit in ayeris dictorum dominorum tempore messium existente bladum in ayera soluat pro qualibet et qualibet vice soldos viginti et emendet dapnum. Et si fuerit anser reperta in aieris et ortis dictorum dominorum soluat soldos duos et si in pratis soluat soldum vnum et totidem de emenda. Et qui dapnum dederit in ortis uel in gardinis portando ortalia et fructus arborum soluat de banno soldos quatraginta pro quolibet et qualibet vice de die. De nocte vero soluat florenos duos ianuenos domino cui dapnum datum fuerit et cuius erunt res exportate

VIIII. *De aliena bestia reperta*

Item statutum est quod si quis inuenerit alienam bestiam cuiuscumque condicionis existet et eam receptauerit et non propalezauerit potestati uel eius locumtenenti uel dici fecerit in eclexia coram populo soluat pro qualibet die qua non propalezauerit ut dictum est soldos viginti. Si vero fuerit galena uel anser et non dixerit uicinis suis soluat solidum vnum

X. *De aliena re reperta propalezenda potestati*

Item statutum est quod si quis reperierit seu inuenerit in finibus poderii et districtus dicti loci aliqua asiamenta uicini sui ea propalezare debeat in loco iurisdico domino potestati uel sacerdoti in eclexia notificando coram populo infra dies decem postquam eam inuenerit et si contrafecerit soluat duplum precii rei reperte quod ualet et dictam rem repertam suo uicino cuius est restituat et si dictus uicinus rem ipsam pro sua recipiat que non sit sua soluat duplum valoris rei ipsius pro banno et rem reddat cui debetur

XI. *De non clamando foras*

Item statutum est quod si quis clamauerit foras foras foras et non habuerit causam iustam clamandi oportunam et necessariam soluat soldos sesaginta. Si uero causam habuerit iustam clamandi quilibet ad eam et sui causam uadat qui audiet et si non iuerit soluat pro quolibet soldos viginti

XII. *De non ponendo ignem in sua posessione*
Quod nemo audeat conbruere igne rem alienam

Item statutum est quod nemo audeat seu prosumat ignem ponere in sua posessione seu brusatam facere tempore uentoso nixi esset et fuerit ita fortis et potens auxilio quod possit resistere igni et constringere cum quod non possit dare dapnum alteri sub pena pro quolibet et qualibet uice comitenda et exigenda a contrafaciente librarum decem et restitutionis fiende dapni passi

XIII. *De feriendo aprum*

Item statutum est quod qui percusserit et percussum secutus fuerit aprum uel ociderit habeat quartam partem apri et alie partes dentur consociis suis uenientibus cum eodem reseruato capite apri quod detur potestati loci pro dominis qui ipsam det dominis loci

XIIII. *De curendo ad strepitum campane*

Item statutum est qui non securerit ad strepitum nec uenerit quando pulsatur cum armis soluat pro quolibet et qualibet uice soldos viginti

XV. *De veniendo in platea ad sonum campane perpulsentem ter*

Item statutum est quod quelibet persona debeat ire in platea alladii ad sonum campane ter pulsantem et hoc sub pena solidorum quinque

XVI. *De non faciendo ignem in domo sua coperta a paleis*

Item statutum est quod nemo prosumat nec audeat facere ignem in domo sua de paleis coperta tempore magni uenti cum fit sub pena solidorum decem pro quolibet et qualibet uice et quod consules et criendarii teneantur uisitare domos copertas de paleis et in his stantes dicto tempore uenti magni et ignem in eis repertum astringi facere et amortari sub pena solidorum sesaginta

XVII. *De vndo ad salpmum et de non laborando in festiuitatibus*

Item statutum est quod quilibet caput domus loci alladii seu aliqua persona sufficiens de domo sua tempore quo salmi et laudes domini nostri yhesu christi celebrantur cantantur et portantur per fines alladii debeat asociare crucem domini nostri yhesu christi et ipsam crucem non relinquere nec ab ea disedere quousque presbiter cum cruce fuerit reductus et conuersus ad eclexiam suam et hoc sub pena solidorum quinque pro quolibet et qualibet vice in qua contrafecerit. Que pena subito et incontinenti exigatur cum comissa fuerit per potestatem et per consules et dicta pena ponatur in aliqua re que conuertatur ad honorem et ad laudes domini nostri yhesu christi et gloriose virginis marie eius matris et beatorum sanctorum gaudencii benediti maximi et archangeli michaellis et tote curie celestis ac sancti bernardi qui exaudiant preces et laudes supplicantium custodiant et saluent fines nostras et fructus earum ab omni fulgure tempestatis et aduersitatis ac a prina et a falla et quod scriba consulum vadat omni die cum presbitero et associet crucem et scribat omnes et singulas personas que non irent ad dictas laudes et in scriptis det potestati et consilibus, qui dictam penam exigant et nullam faciant gratiam nixi iuxtam haberent causam et excusabilem quam excussam de presenti facere debeat. Et similiter qui laborarent in festiuitatibus solepnibus domini nostri yhesu christi et in festiuitatibus beate marie uirginis et beatorum apostolorum et sancti laurenti martiris sint in pena solidorum quinque que pena incontinenti exigatur et consules suo iuramento debeant perquiri facere fines et locum ubi tales delinquentes laborant et dicti consules vna cum potestate faciant pignora et pena conuertatur ad honorem dei ut supra

XVIII. *De non vetando pignus potestati neque nuncio*

Item statutum est quod nullus audeat nec prosumat vetare pignus nuntio potestati videlicet qui dixerit nuncio potestatis nolendo capere pignus nolo quod capias et noluerit pignus dare soluat de banno soldos quinque. Qui vero abstulerit pignus a manibus nuncii postquam ipsum ceperit soluat de pena soldos decem. Si quis vetauerit pignus potestati soluat de pena soldos viginti. Et qui vetauerit consuli pignus soluat soldos duos et bannum perueniat potestati si ipsum sciuerit

XVIIII. *De capiendo nemorem pro ponendo in fortia tempore guere*

Item statutum est quod si quis ceperit alienum nemus in sedimine seu in possessione alterius necessarium poni pro bareria seu fortificatione rei publice tempore guere nullam penam neque banum patiatur. Et quod ille cuius erit dictum nemus non audeat nec prosumat postquam fuerit in opere defensionis positum auferre seu capere durante guerra. Et hoc sub pena soldorum sexaginta. Et facta pace sibi reddatur prehabita et petita licentia potestati quam licentiam dare debeat et teneatur et si non dederit ipsi licitum sit suum nemus capere impune et sine banno

XX. *De manderio ponendo per potestatem*

Item statutum est quod pro potestate ponatur vnus manderius officium mandarie seruari consuetum fideliter exercendo et habeat pro quaconque citacione personali alicui ad instanciam alterius facta de iusticia responsurum denarios duos et pro qualibet citacione facta ad instanciam forensis in homine loci alladii vocati ad iudicium denarios duodecim intelligendo citacione facta ad tres terminos in vno contextu. Et pro quolibet saximento et sequestro denarios sex. Et pro quolibet inchantu facto de re tradita ad uendendum leuatam per pignus ad instanciam creditoris tam de quantitate magna quam de parua denarios octo et pro qualibet crida facta de mandato potestatis ad instanciam alterius persone denarios octo. de cridis vero factis ad requisicionem consulum volendo suum officium exercere nichil habere debeat et ipsas faciat et facere debeat nulla sibi salarii siue prohemii pensione inferenda sic deferendo iuramentum obseruandi. Item quod dictus manderius habeat et habere debeat pro qualibet rasparia facta ad instanciam cuiuslibet habere debentis denarios sex pro libra

XXI. *De noctario ponendo per potestatem*

Item statutum est quod per ipsum potestatem ponatur vnus notarius qui iuret officium suum notarie exercere remotis odio amore timore prece et precio et quo-

libet alio inhonesto in libris curie dicti loci quecumque venientia ad ipsam curiam et ocurentia tam criminalia quam ciuilia scribere et notare et solepnizare ut iuris est ac secreta tenere quo secreta ueniant obtinenda eciam propalezare legere exstrayere et diuulgare cui pertinuerit et que fuerint propalezanda exstrahenda et diuulganda ac ostendenda fideliter exercere

XXII. *De molinario et eius officio*

Item statutum est quod molinarius loco alladii teneatur et debeat tenere copum seu minellam bonam signatam ad rationem sedecim minellarum siue coporum pro sestario et moturare bona fide exercendo sine dolo sub pena solidorum viginti pro qualibet uice et si fuerit acusatus restituat dapnum passo si granum deuastaret seu perderet et amitteret culpa sua

XXIII. *De ordine dando super vendimeis et vuis coliendis*

Item statutum est quod anno quolibet per consules et cridendarios dicti loci de conscilio dominorum et potestatis pro ipsis detur ordo super vindemiis fiendis et ordine dato nemo presumat vendimiare nec vendimiari facere sub pena solidorum sexaginta pro quolibet contrafaciente et qualibet vice comittenda. Possint tamen potestas cum consulibus dare licentiam de vuis marcandis que saruari non possunt vusque ad tempus vendimiarum fiendarum quod coligantur impune per eos petentes licentiam quorum intererit ac etiam dari possit licentia petenti qui haberet vitus suas a longe plantatas a consorcio vicinali aliorum plantatorum et vinearum dicti loci

XXIIII. *De non capiendo alienas vuas*

Item statutum est quod si quis ceperit alienas vuas in vineis siue in plantatis causa ipsas comedendi in dicto plantato preter vuas soluat de banno soldos decem si de nocte sol. LX. Si vero portauerit in sacho cauagno corbello uel aliter in excedenter et inhonesto pondere soluat de die soldos sexaginta et de nocte libras decem et si eas exstra fines dicti loci exportauerit ad vendendum soluat de die soldos sexaginta et de nocte libras decem et totidem do emenda in quolibet predictorum et plus si dapnum comissum per ipsum fuerit plus

XXV. *De mensuris rasonendis per potestatem et consulles*

Item statutum est quod potestas vna cum existimatoribus a principio sui regiminis infra mensem subsequentem teneatur et debeat omnes mensuras quibus mensuratur ad grossum siue menutum et sesterias siue balancias quibus mensuratur ad grossum siue ad menutum quibus ponderatur (*sic*) et hoc si de eo fuerit requisitus rasonari faciat et suo sigillo siue signo signari faciat bene et fideliter

XXVI. *De officio ministrendo officialibus comunis*

Item statutum est quod potestas suo officio et speciali iuramento teneatur et debeat infra annum sui officii et regiminis et sine dilacione quaecumque iusticiam ministrare omnibus et singulis officialibus comunis de et pro remuneracione salarii eorum et quod eisdem officialibus tam per statutum quam alio modo fuerit atributum et hoc sumarie simpliciter et de plano executioni mandare nicilo in contrarium obstante

XXVII. *De fornario et eius officio*

Item statutum est quod fornarius comunis teneatur et debeat bona fide forniare ad requisicionem cuiuslibet postulantis excepto tempore ventoso quo tunc non prosumat forniare sine consensu potestatis sub pena soldorum viginti et habeat pro qualibet fornata panes   et sic pro rata et si panem uastauerit teneatur ad emendam dapni passo absque vulla iudicii dilaciono

XXVIII. *De tabernariis et de reuendentibus ad menutum*

Item statutum est quod omnes tabernarii becharii panaterii et alii quocumque nomine censentur reuendentes ad menutum teneantur et debeant iuste et debite vnicuique pro suo denario petenti et soluenti daro deratas suas precio preciatas sine fraude et dolo seu culpa falsi et si contrafecerit et fuerit acusata soluat pro quolibet et vice qualibet soldos quinque et si non fuerit acusata quod potestas possit procedere per inquisicionem

XXVIIII. *De non faciendo furtum*

Item statutum est quod nulla persona vndecumque sit cuius gradus uel condicionis existet audeat uel prosumat facere furtum. Si quidem fecerit furtum do denariis sex uel valore usque ad denarios duodecim soluat pro pena et banno soldos viginti. de denariis duodecim usque ad soldos quinque soluat pro banno soldos quatraginta et de soldis quinque vusque ad soldos decem soluat pro banno soldos sesaginta et de soldis decem vusque ad soldos xx soluat pro banno libras quinque. Et de soldis viginti vusque ad soldos quatraginta soluat pro banno libras decem uianensium. Et do soldis centum usque ad libras decem soluat pro banno libras vigintiquinque. Et si furtum fuerit valoris librarum decem vusque ad libras vigintiquinque soluat pro banno libras quinqueginta. Et si dicta furta comissa fuerint in castro dominorum et de bonis dominorum aut in eclexia aut de bonis dicte eclexie soluat duplum quam si comissum fuerit in aliis locis et de aliis rebus. Et in quolibet predictorum casuum teneatur fur vultra predictum bannum emendare dapnum passo. Et predicta intelligantur in fure non famoso. Et si predictam penam soluere non poterit

videlicet pro primo furto publiee frustigetur per longum burgi alladii et postea expellatur de terra et tociens quociens fuerit captus iterato frustigetur. Pro secondo et tercio furto et penam ineursam soluere non poterit amputetur ei auricula et baniatur et banitum teneatur. Et predicta intelligantur in fure non famoso. fur famosus intelligatur qui quinquo furta comisserit diuersis locis et temporibus asendentia ad libras vigintiquinque supra omnia simul coadinata capiatur et furehis suspendatur ita quod penitus moriatur

XXX. *De non faciendo concordiam de furto*

Item statutum est quod si quis fecerit concordiam de furto sibi facto uel ceperit satisfationem sine uerbo potestatis uel iudicis ante denunciationem factam officiario iuris soluat soldos sexaginta pro quolibet et qualibet vice

XXXI. *De non depradando aliquem*

Item statutum est quod nulla persona vbieumque sit audeat uel prosumat aliquam personam uel bona publice seu uiolenter depredari in alladio uel finibus et si quis contrafecerit si quidem robaria fuerit de soldis viginti uel infra soluat libras decem pro banno et restituat dapnum passo in triplum. Si uero depredatus fuerit ad soldos viginti supra soluat de banno libras vigintiquinque et emendet dapnum in triplum in quibus quidem et quolibet ipsorum teneatur derobator seu depredator declusus in calceribus vusque ad solutionem dictorum banorum et emenda. Que bana et emendam soluere teneatur derobator infra quindecim dies postquam fuerit conuictus uel confessus de maleficio predicto. Et si predictas quantitates pecunie tam pro banno quam pro restitucione soluere noluerit aut non poterit infra dictum terminum tunc postea incontinenti unus pes amputetur et incidatur ita quod a tibia saparetur et predicta intelligantur habere locum in derobatore publico non famoso. Famosus vero intelligatur qui duabus uieibus fuerit aliquem depredatus publice uel in strata publica uel in alio aliquo loco alladii uel in finibus qui quidem sic famosus tamquam crasator et fur publicus furcha suspendatur ita quod moriatur. Si vero robariam fecerit scienter tempore guere in bonis alicuius persone que non sit de guerra soluat libras quinqueginta et restituat dapnum

XXXII. *De non receptando furtum*

Item statutum est quod si qua persona receptauerit furtum uel robariam scienter soluat pro quolibet et qualibet uice libras decem imperialium pro banno et emendet dapnum et restituat rem derobatam illi cuius est res derobata et vultra dictum bannum librarum decem emendet valorem rei derobate. Qui valor aplicetur pro duabus partibus dominis alladii alia tercia pars aeusatori et ipse acusator teneatur secretus et similiter qui receptauerit banitum soluat libras decem

XXXIII. *De non faciendo aliquem trabutare*

Item statutum est quod nullus debeat aliquem trabutaro seu trabutari facere indebite et vultra formam iuris. Et qui contrafecerit soluat pro quolibet et qualibet vice tot libras quot soldos fecerit aliquem trabutare et nichilominus condemnetur ad restitutionem rei uel pecunie trabutate dandam et restituendam illi quem fecerit trabutari. Et si soluere non poterit predicta publice frustigetur et baniatur de loco et tociens quotiens fuerit captus iterato frustigetur

XXXIIII. *De citacionibus fiendis contra conculpatos de aliquo delicto*

Item statutum est quod quilibet inculpatus de crimino furti seu robarie uel faciendo aliquem trabutare uel de quocumque alio malefitio citetur duabus vicibus per interualla trium dierum sub pena pro prima citatione solidorum viginti, pro seconda citacione solidorum quatraginta. Et si non comparuerit de inde publice cridetur in bannum per interualla trium dierum tribus vicibus. Qui sic citatus et cridatus si non comparuerit et se non presentauerit in quolibet casuum predictorum tunc habeatur pro confesso (*et*) tamquam de crimine confessus comdempnetur secondum formam statuti nixi de sua absentia iustam fecerit defensionem. Que citationes fiant personaliter si personaliter inueniri possint vel ad domum babitationis proprie audiente aliquo de eius familia si familiam habuerit alioquin audientibus vicinis uel parentibus proximioribus. Si uero non habuerit babitationem in loco uel fuerit alterius iurisditionis tunc publice tribus vicibus cridetur in bannum sub certis penis imponendis per potestatem in quolibet termino quo debeat comparere super malefitio de iustitia responsurus per interualla trium dierum inter una quaque cridam. Si uero aliquis inculpatus de crimine aliquo esset ad mortem condempnandus si presens conuinceretur secondum formam statuti, et fugam eripuerit et fecerit et se non presentauerit infra dictos terminos contentos in cridis tunc sit banitus uusque quo soluerit quantitatem que in cridis et citacionibus apponuntur. Et preterea principalia facta in sua maneant firmitate. Et super eius bona anotantur et perueniant ad manus curie silicet mobilia. immobilia uero perueniant domino cuius est homo talis malefactor

XXXV. *De ponendo aliquem ad torturam*

Item statutum est quod quicumque inculpatus fuerit de furto uel robaria uel de strata robata possit et debeat subici questionibus et tormentis per testimonium unius testis fidedigni qui testificetur se vidisse fieri furtum uel robariam et eciam conuictus fuerit per quinque testes de uoce et fama qui deponent quod comuniter est publica uox et fama quod predictum maleficium sit comissum per predictum inculpatum

XXXVI. *De rixis non fiendis*

Item statutum est quod si quis fecerit rixam seu cauilantiam cum aliqua alia persona et in ipsis rixa et cauilantia processum fuerit ad actum. si quidem percusserit aliquem pugno palma uel pede uel ceperit per capillos uel proiecerit ad terram sine sanguinis effuxione soluat pro quolibet et qualibet vice soldos sesaginta. Si uero sanguis exiuerit soluat soldos centum. Si uero leuauerit lapidem a terra uel in manibus acceperit baculum spatam gradium gradiam uel aliud instrumentum ferei uel metallei causa aliquem percutiendi et non traxerit ictum soluat pro banno soldos quinque. Si qui uero posuerit manum super dagam spatam fachinum uel gladium quod habuerit a latere causa ipsam euaginandi animo irato et non euaginauerit soluat pro quolibet et qualibet vice soldos quinque. Si uero euaginauerit gladium gladiam fachinum uel spatam et leuauerit plombatam baculum uel aliud instrumentum ferrei seu metallei uel lapidem et ictum traxerit contra aliquem et non percusserit soluat pro banno pro quolibet et qualibet vice soldos quatraginta. Si uero traxerit ictum cum pugno palma uel pede et non percusserit soluat pro banno soldos viginti. Si uero aliquem percusserit cum ferro lapide spata baculo plombata uel alio instrumento siue sanguinis effusione soluat soldos centum pro quolibet et qualibet uice. Si uero sanguis exierit soluat pro banno libras decem. Si uero percussus perderet menbrum s. pedem manum tibiam oculum uel nasum tunc soluat pro pena et banno libras quinquaginta imperialium et totidem de emenda. Et si predictam penam soluere non poterit cum emenda incidatur sibi manus destra in aliis uero percussionibus supradictis et in ossi fractione teneatur emendare exspensas et sumptus ad arbitrium potestatis et medici et etiam pro ossi fractione et corporis inuasatione (*sic*) soluat libras vigintiquinque vianensium et emendet dapnum siue sumptus ad arbitrium ut supra dictum. Et si predictas penas soluere non poterit teneatur in calceribus et compedibus per vnum mensem ad panem et aquam si non habuerit unde soluat et si habuerit vnde soluat capiantur eius bona uusque ad integram solutionem. Si uero comisserit contra presbiterum puniatur in duplum quam si comisserit coutra aliam personam. Si uero comisserit in eclexia uel in zimenterio soluat terciam partem plus quam in aliis locis. Si uero in castro soluat duplum. Sed istud capitulum non habeat locum super famulis nec famulabus castri. Si uero comissa fuerunt delicta suprascripta in personam consulis uel gastaldi dominorum soluat quartum plus quam si comissa fueri(*n*)t contra aliam personam. Si uero famuli castri videlicet bubulci famuli laboratores uel uacarii comisserint suprascripta delicta et offensiones in burgo alladii uel in finibus soluat in quolibet predictorum casuum quartam partem minus banni quam quod in capitulo continetur. Et dominus cum quo morabatur teneat tantum de suo salario quantum fuerit condempnatus. Domicelli uero et ragatii nullo modo sint astricti sed domini cum quibus morabantur ipsos castigant. Si uero aliquis percusserit aliquem alium in domo sedimine uel aiera siue in posessione uel coram domo illius qui fuerit percussus soluat quartum plus banni quam si percusserit in loco comuni. Si uero aliquis alium percusserit in domo sedimine aiera

orto uel in aliquā posessione uel coram domo et hostio percutientis soluat quartam partem minus banni quam si percusserit in loco comuni et publico. Si uero aliquis alterum percusserit de nocte uel postquam pulsatum fuerit ad aue mariam soluat medietatem plus banni quam si percusserit de die

XXXVII. *De armis non portendis*

Item statutum est quod vulla persona de alladio cuius status gradus et conditionis existet audeat uel prosumat portare arma uidelicet fachinum spatam gisarmam pomblatam uel quod simile per locum alladii nixi cultellum a galono qui non sit longus plus de vno pede et hoc sub pena solidorum quinque. Et si quis habuerit rixam cum aliqua persona et leuauerit arma predicta uel aliquam ipsarum et portauerit per locum alladii soluat de pena et banno soldos decem. Et si quis portauerit arma predicta uel aliquam ipsarum extra locum alladii causa iniuriandi et percutiendi aliquem soluat pro portatione armorum soldos viginti

XXXVIII. *De iniuriis non dicendis dominis potestati et iudici*

Item statutum est nulla persona de aladio neque forensis audeat uel prosumat dicere verbum iniuriosum dominis potestati uel iudici et si quis contrafecerit soluat pro pena et banno soldos quatraginta. Et si iniuriam dixerit dictis dominis potestati et iudici in presentiam dominorum uel in presentia vnius illorum dominorum soluat pro banno soldos sexaginta. Si uero iniuriam dixerit notario curie soluat duplum plus quam si diceret alicui alteri persone

XXXVIIII. *De non dicendo verbum iniuriosum alicui*

Item statutum est quod nullus audeat uel prosumat dicere alicui uerbum iniuriosum et qui contrafecerit. si quidem dixerit alicui quod mentiatur per gulam uel quod sit latro seu proditor uel falsarius vsurarius gazerus excomunicatus bastardus periurus uel infamis. vel mulieri quod sit meletrix afatureria uel uenefica uel incantratrix soluat pro banno pro quolibet et qualibet vice soldos decem et totidem de emenda propter infamia data. Si uero dixerit alicui alteri verbum alias iniuriosum soluat pro banno soldos quinque. Si uero dixerit iniuriam alicui alteri persone coram potestate uel iudice uel in loco iurisdico soluat pro pena et banno pro quolibet et qualibet vice soldos viginti. Si uero predicta uerba dixerit alicui videlicet quod sit latro proditor falsarius gazerus bastardus uel mulieri quod sit meletrix uel gazera in presentia dominorum uel in presentia alicuius eorum soluat pro pena soldos sexaginta. Si uero in eclexia dum missa celebratur soluat soldos viginti. Si uero iniuriam dixerit presbitero soluat duplum quam si diceret alicui alteri persone. Et similiter qui dixerit verbum iniuriosum consuli uel gastaldo dominorum soluat duplum quam si dixerit alicui alteri persone et nuncio curie

XL. *De omicidio non comitendo*

Item statutum est quod si quis tractate et apansate in loco alladii in stratis seu uiis seu alibi sub dicta et in dicta iurisdicione loci predicti alladii insidiando alterum occiderit decapitetur ita quod moriatur secondum formam iuris comnnis. Si autem in rixa seu cauilantia homicidium comisserit soluat libras ducentum quarum medietas sit domino cuius erit homo alia medietas sit potestati. Et teneatur qui in tali casu comisserit homicidium exul quousque concordiam habuerit cum parentibus defuncti. Et intelligatur cauiglantia seu rixa que fortuitu sit euentu et non tractato animo seu apansato uel fictitie facto quod qui tractato animo seu apensato homicidium comisserit punintur iure comuni. Et si homicidium comisserit se defendendo et suam defensionem faciendo que defensio palam constet et sit manifesta soluat libras decem et totidem pro emenda nec exul propter id minime teneatur nixi per vnum mensem a die comissi homicidii tantum et non vultra. Et si homicidium fecerit perpetrando per aliam interpositam personam eadem pena puniatur in quolibet predictorum ac si sua propria manu comisisset et fecisset. Et si tosichum dederit uel venenum seu dari fecerit decapitetur ita quod moriatur. Et si conburi fecerit alterum uel nechari eadem pena puniatur qui homicidium comisserit seu comiti fecerit ita quod penitus moriatur. Si autem homicidium comisserit fortuitu euentu et eo inuito et ignorante laborando uel incidendo arborem murando casiando uel quid simile operando bona fide nullo misto fraude habendi animum delinquendi et hoc probari possit per testes uel saltem per uerissimam qualitatem et significationem facti seu morientis confessionem soluat de banno libras vigintiquinque et totidem pro emenda parentibus morientis et hoc locum habeat in persona maiore quatordecim annorum sed si persona fuerit minor anorum quatordecim soluat libras decem tantum

XLI. *De non faciendo iniuriam alicui ex dominis*

Item statutum est quod nulla persona audeat uel prosumat dicere nec facere iniuriam alicui ex dominis dicti loci et qui contrafecerit puniri possit ad arbitrium domini cui dixerit iniuriam uel fecerit et vnius alterius domini alladii cuius ille homo malefactor non esset homo. Si uero ininria facta ut supra meretur pena pecuniaria puniatur in pecunia. Si uero meretur sanguinem puniatur in sanguine ad arbitrio domini cui fuerit facta ininria et arbitrio vnius alterius domini cuius talis malefactor non est homo ut supra

XLII. *De non faciendo insultum cum armis contra dominos*

Item statutum est quod nullus audeat uel prosumat facere insultum uel malum aspectum cum armis uel sine contra dominum potestatem uel iudicem qui nunc

sunt et pro temporibus fuerint et qui contrafecerit puniatur in triplo quam si contra aliam personam fecisset que pena incontinenti exigatur

XLIII. *De non faciendo malum aspectum contra aliquem cum armis*

Item statutum est quod nullus audeat uel prosumat facere malum aspectum cum armis uel sine armis cum percussione uel sine contra aliquam personam presentibus dominis et si fecerit puniatur in triplo quam si fecisset in eorum absentiam et dicta pena incontinenti exigatur.

XLIIII. *De non blasfemendo deum neque sanctos*

Item statuerunt et ordinarunt quod nulla persona audeat uel prosumat deum neque virginem sanctam mariam neque apostolos sanctum laurentium beatum anthonium martiros blansfamare neque dicere deum latro traditor uel facere ficas uersus deum et celum neque dicere vulnam beate marie neque dicere quod sit meletrix et hoc sub pena solidorum quinque pro quolibet et qualibet vice. Si vero dixerit coram potestate soluat soldos decem. Si vero dixerit coram dominis soluat soldos viginti pro quolibet et qualibet uice. Et quilibet possit acusare et habeat tertiam partem banui

XLV. *De non fornicando in domo domini sui*

Item statuerunt et ordinauerunt quod si quis fornicatus fuerit in domo domini sui soluat de banno libras decem et perdat salarium sibi conuentum per dominum et sit homo uel vasallus et hoc pecatum comisserit in domo domini sui soluat libras vigintiquinque et perdat bona que tenet a dicto domino suo videlicet eum seruenta bazula uel famula

XLVI. *De non blasfemendo aliquem*

Item statutum est quod si quis alterum blansfamauerit soluat pro quolibet et qualibet vice soldos quinque et si blansfationem dixerit in presentia potestatis seu in loco iuris uel in eclexia soluat duplum

XLVII. *De non ludendo ad ludum taxillorum*

Item statutum est quod si quis luxerit ad ludum taxillorum uel aliquo ludo mostrando ponetum in alladio uel poderio soluat quilibet et qualibet uice soldos decem uel ille uel illi qui concesserit taxillos uel denarios uel domum in dicto ludo uel aliunde soluat pro quolibet et qualibet vice soldos decem et acusator habeat tertiam partem

XLVIII. *De non butando aliquem seu rabelando*

Item statutum est quod si quis butauerit et rebellauerit aliquem per terram soluat pro quolibet et qualibet vice soldos sexaginta et si butatus non ceciderit in terra soluat ille qui ipsum butauerit soldos decem et hoc si persona comitens delictum sit mayor quatordecim annorum et si sit minor quatordecim annorum soluat medictatem solomodo et non plus

XLVIIII. *De non leuando chaputeum neque bireum a chapite*

Item statutum est quod si quis ab altero caputeum de capite seu beretam seu capellum rapuerit de capite soluat pro quolibet et qualibet vice soldos quinque

L. *De non violendo alienam vxorem*

Item statuerunt et ordinauerunt quod si quis violauerit aliquam mulierem si quidem puellam teneatur istam dotare et in uxorem suam capere si uxorem non habuerit. et soluat pro banno soldos centum. Si vero vxorem habuerit aut talis persona que eam desponsare non posset dotet ipsam et maritet et soluat de banno libras ducentas. Quod si predicta facere non poterit puniatur in personam iustitia mediante. Si illa mulier violata sit maritata ille qui uiolentiam comittit decapitetur ita quod penitus moriatur

LI. *De non faciendo falsum sacramentum*

Item statutum est quod quicumque fecerit uel degerit falsum sacramentum et reprobatum sit soluat de banno soldos sexaginta. Et hoc capitulum locum non habeat in hiis seu contra eos qui in contractibus iurant de non contrauenire et attendere que in contractibus continentur. De tali autem sacramento facto qui contrafecerit solum deum habeat vultorem nixi fuerit per partem cuia interest denuntiatum

LII. *De non laborendo alienam possesionem*

Item statutum est quod si aliqua persona de alladio acusauerit aliquem quod intrauit suam posessionem et ipsam laborauit citetur acusatus ad respondendum dicte acuse et acusatus dixerit ipsam laborasse ut suam et ipsam tenuisse ut suam statuatur terminus congruus vtriusque parti ad docendum de iuribus suis tam de iure quam de facto. Et habitis iuribus dictarum partium fiat cognicio sumarie per iudicem non suspectum expensis partis subconbentis

LIII. *De bestia que reperta fuerit in fosato fortalicii*

Item statutum est quod nulla persona audeat uel permittat aliquam eius bestiam ire in fosato fortiarum sub banno pro qualibet bestia et qualibet vice denariorum sex et hoc de omnibus et singulis bestiis exceptis suculis

LIIII. *De non faciendo fieri falsum instrumentum*

Item statutum est quod nulla persona debeat facere uel fieri facere instrumentum falsum et qui contrafecerit soluat pro banno libras vigintiquinque quas si soluere non poterit uusque ad decem dies proximos venturos post condempnationem factam incidatur ei manus ita quod a brachio penitus amoueatur et siue soluerit predictas libras vigintiquinque siue non soluerit sit perpetuo priuatus officio sue notarie ita quod alicui instrumento ipsius manu confecto siue abreuiato nullatenus fides adhibeatur. Si uero quis produxerit falsum instrumentum scienter in iuditio ita quod sit solum culpabilis ex vsu instrumenti falsi. siquidem desistat ab usu dicti instrumenti ante litem contestatam soluat pro banno soldos sesaginta. si uero presentauerit utendo ipso falso instrumento post litem contestatam tunc puniatur ut ille qui fecit uel fieri fecit falsum instrumentum pro ut in principio huius statuti contiuetur

LV. *De falsa moneta non vtenda*

Item statutum est quod nullus audeat uel prosumat vti falsa moneta in marchanciis nequo in ludo nec in aliquo quouis modo siue causa et qui vsus fuerit et super se portauerit et de ea fuerit negotiatus soluat de banno soldos viginti et perdat dictam pecuniam si ea fuerit vussus portans uel ludens ignoranter (*sic*). Si autem scienter et delose soluat pro pena et banno libras decem et perdat pecuniam. Qui autem eam fabricauerit uel fabricari fecerit aut fabricanti consentiucrit puniatur iure comuni

LVI. *Quod infans de VII annis infra non soluat bampnum*

Item statutum est quod infans ab annis septem infra si comiserit dolicta et malefitia contenta in capitulis suprascriptis uel aliquod ipsorum delictorum nullam soluat penam nec bannum. Ab annis septem supra uusquo ad annos vndecim et predicta delicta aut aliquod predictorum comisserit propter eius infantia soluat quartam partem pecunie contente in dictis capitulis. Si uero ab annis vndecim uusque ad annos quindecim si in dicto tempore minoris etatis comisserit aliquod predictorum delictorum soluat medietatem dicte pene. Ab annis vero quindecim supra soluat integra-

liter totam penam et bannum si predicta delicta comisserit uel aliquod ipsorum pro ut in capitulis continetur

LVII. *De non conbruendo ygni nec conbrui facere*

Item statutum est quod nullus debeat conburere igne nec conburi facere domum habitationis alicuius persone sacre uel religiose et qui contrafecerit soluat pro banno libras centum et teneatur ad restitutionem dapni ipsi dapnum passo. Et si predictas libras centum soluere non poterit infra vnum mensem proximum venturum post condenaptionem factam igne cremetur ita quod penitus moriatur. Si uero conbuxerit uel conburi fecerit bladum uel fenum alicuius persone soluat pro banno libras vigintiquinque. Quas si soluere non poterit infra vnum mensem proxime venturum ut supra amputetur ei manus ita quod a brachio remoueatur. Et in casu quo solueret dictas libras vigintiquinque teneatur ipsi dapnum passo ad restitutionem plenariam. Si uero conbuxerit uel conburi fecerit lignerium seu bancham alicuius persone soluat libras quinque. Si uero vitus (*vites*) soluat libras decem. Si uero posuerit ignem in sua posessione non dolose ex quo incendio dapnum faciat alteri in stipula in pratis in cexiis in clausuris uel in nemoribus soluat soldos sexaginta et restituat dapnum incontinenti et si non habuerit unde soluere et restituere teneatur per vnum mensem in conpedibus carceratus. Et qui posuerit in aliena posessione soluat soldos centum et restituat dapnum et si non habuerit unde soluere et restituere teneatur in carceribus per vnum mensem ad panem et aquam. Et qui posuerit maliciose soluat libras decem et restituat dapnum et si non soluerit et restituerit sindatur manus destra ita quod a brachio diuidatur

LVIII. *De mesurendo vinum ad menutum*

Item statutum est quod nulla persona debeat mensurare vinum granum neque ponderare ad stateras nixi priius signata signo domini potestatis. Et nullus possit nec debeat mensurare vinum quod uenditur ad dolea seu ad aliqua alia vasa do petra sub pena et banno solidorum decem saluo ad mensuram retondam de nemore. Et in quolibet predictorum casuum teneantur domini potestas et iudex precisso sacramento omni mense specialem super hiis formare inquisitionem et facere uenire coram se ipsos uendentes vinum ad minuculum et eos interogare eorum sacramento si venerunt contra premissa uel aliquid (*de*) premissis et acusator habeat tertiam partem banni

LVIIII. *De possesione afitenda ad laborendum*

Item statutum est quod si quis dederit uel afitauerit aliquam posessionem alicui ad laborandum ad certum tempus et ipsam subtraxerit infra tempus quod ipsam

tenere debet soluat de banno soldos sexaginta. Et qui intrauerit in alieno labore nixi priius restituat alteri de suo sudore et labore soluat soldos centum et restituat dapnum passo nec valeat subtractio siue contractus factus infra tempus concessionis quinymo qui habuerit posessionem ea vtatur quousque ad tempus completum sibi facte cessionis siue locationis

LX. *De non deridendo aliquem*

Item statutum est quod nullus debeat deridere aliquem et si quis deriderit aliquem et contra aliquem actum derisibilem fecerit uidelicet quod pugnum palmam uel pedem leuaucrit causa ipsum deridendi uel contra ipsum sterterit dentes uel fiehas fecerit uel dixerit uel sputauerit contra aliquem uel fecerit mocham uel aliquem actum simile fecerit causa deridendi soluat pro quolibet et qualibet vice soldos quinque. Si uero sputauerit in facie soluat soldos decem. Si uero dictas derisiones fecerit uel dixerit in eclexia uel coram dominis uel coram potestate uel iudice uel in loco iurisdico soluat duplum quam si fecerit in aliquo alio loco

LXI. *De inquisitione fienda super omni delicto*

Item statutum est quod domini potestas et iudex qui est et pro temporibus fuerit possit et debeat eius officio inquirere et inquisitiones formare de et super malefitiis de omnibus et singulis malis suprascriptis et de aliis quibuscumque que de cetero fient et comittentur. lege uel iure aliquo modo non obstante. Saluo super delicto carnis supositionis super quo et de quo nullam possit ex officio uel aliter inquisitionem formare nec aliter inde procedere nixi super delicto solempnis acusatio fiat cum subscripitione ad penam talionis et ceteris solepnitatibus que in acusationibus criminalibus de iure et regulariter requiruntur

LXII. *De processus et actis scribendis per potestatem*

Item statutum est quod potestas qui est et pro temporibus fuerit possit et ualeat scribere manu sua propria omnes processus criminales et omnia acta ciuilia et criminalia et ipsa leuare et reducere in publicam formam. Et tantam uim et roborem obtineant quam si forent et essent scripta manu publici notarii et autentici dummodo ipse potestas sit notarius publicus autentichus et exspertus in arte notarie

LXIII. *Quod pater teneatur pro filio*

Item statutum est quod pater non teneatur pro filio de crimine filii nixi in suprascriptis casibus videlicet si ipse filius exscessum seu delictum comisserit contra aliquem ex dominis seu contra aliquem ex dominis potestate uel iudice dicti loci uel contra aliquem ex gastaldis dicti loci videlicet gastaldi dictorum dominorum

seu contra aliquem ex consulibus dicti loci et tunc soluat soldos centum pro ipso filio. Et si filium suum banitum receptauerit uel albergaret in alladio uel poderio duabus vicibus postquam banitus esset dictorum dominorum in quibus quidem casibus et quolibet ipsorum domini potestas et iudex possint et debeant compellere patrem pro filio et ipsius fili crimine ad soluendum soldos centum si qualitas criminis exigerit. et ab inde infra secondum qualitatem comissi criminis

LXIIII. *De bestis mortis sepeliendis*

Item statutum est quod quelibet persona de alladio uel ibidem habitans cui moriretur aliqua bestia quaduprede cuius generationis existet siue caualina axinina bouina porchina ipsam sepellire debeat in loco et tam profondo ex qua nulla putredo uel aliquod malum flatum exiat ex illa quod det tedium vicini suo uel dapnum in suis bestiis et hoc sub pena solidorum decem pro quolibet et qualibet vice

Incipiunt Capitula de iure redendo

LXV. *Quod potestas debeat omni die sabati cuiuslibet obdomode ire ad bancum iuris*

Item statutum est quod potestas loci alladii teneatur et debeat omni die sabati cuiuslibet obdomade anni nixi feriata fuerit ire ad banchum iuris et ibi stare sedendo auditurus iustitiam ministrando vniquique petenti iuste debite et licite remoto amore timore prece pretio afinitate et alio quocumque inhonesto

LXVI. *Quod seruitor debeat esse ad bancum iuris in die sabati*

Item statutum est quod seruitor siue manderius curie alladii teneatur et debeat ibi die et hora predictis personaliter interesse suo debite iuramento et suas facere protestationes et relationes fiendas que fieri incombunt offitio suo

LXVII. *De libello non dando de rebus minimis*

Item statutum est quod de quantitatibus pecuniarum seu rerum non excendentium vultra soldos viginti vianenssium non detur libellus nec sit necessaria aliqua petitio in scriptis sed possint et debeant domini potestas et iudex deferre sacramentum sumarie et de plano ex eorum offitio acteri uel reo pro ut ipsis dominis potestati uel iudici magis videhitur inspecta qualitate et conditione personarum et cause. Et hoc habeat locum quando non constat de debito per instrumentum publicum de dicta quantitate solidorum viginti uel infra in quo casu possit et debeat dominus potestas siue iudex sumarie et de plano facere preceptum visso instrumento publico quod soluat ad certum terminum dictam pecunie quantitatem pro ut eis videbitur nixi debitor dicat se solutionem fecisse seu aliquam quitationem uel quid simile habere contra instrumentum dicte quantitatis solidorum viginti in quo casu competens terminus eidem assignetur ad predicta probanda si ipsum terminum duxerit postulandum

LXVIII. *De libello non dando vbi sit productum instrumentum confectum manu notarii*

Item statutum est quod de aliquo debito de quo sit productum instrumentum publicum confectum manu notarii publici non detur libellus nec aliqua alia petitio in scriptis sed solummodo exemplum instrumenti et tenorem anno die inditione et testibus pretermissis nixi de solutione debiti aut falsitate instrumenti reus uelit oponere. Quo tunc ipsi reo petenti detur copia instrumenti cum anno inditione et die ac aliis ad integrum in ipso instrumento contentis contra quod et super quo

assignetur terminus reo decem dierum precisse et perhentorie opponendi alegandi seu solutionem fecisse ostendendi talem licitam excusabilem rationem qua ipse reus ueniat obsoluendus. Quam si non fecerit infra ipsum terminum decem dierum aut in dicto termino condempnetur ad soluendum (debitum) actori seu creditori suo ipsum debitum in eodem instrumento contentum per debitam facti executionem tam ad ipsum pretium quam dapnorum exspensarum et interesse. Et hoc statutum vindicet et habeat locum inter uiuentes et contrahentes personas que predictum instrumentum de debito contraxerint. Inter alias uero personas per quas agentes de debito contractus non est celebratus (*si*) dicunt debitum ad eos pertinere iusto et uero titulo successionis emptionis cessionis seu quouis alio iusto titulo nomine censetur eisdem talibus personis de debito fiat et reddatur ius diebus quibuscumque non feriatis sumarie simpliciter et de plano dando et accipiendo libellum et alia oportuna tam pro reo quam pro actore secundum iuris comunis dispositionem subiterfugiis et cauilationibus pretermissis et penitus resechatis ac amotis nichilo in contrarium abigato (*sic*) fiat iustitie complementum partibus litigantibus

LXVIIII. *De iure redendo de mercede laboratoris*

Item statutum est quod de salario laboratoris cuiuscumque persone fiat executio et sumarie procedatur cogendo reum soluere habere debenti amota dilatione quacumque reo terminum asignando trium dierum soluisse sub penis et banno. Forensi vero qui in dicta villa venerit laboratum seu alibi pro aliquo de dicto loco et laborauerit terminus assignetur vnius diei et non vultra. Et si reus eidem in dicto termino non soluerit cogatur per penas et banna pignora capiendo et eidem forensi laboratori exspensas victu et interesse dicto in qua remaneret exoperatus restitueudo et satisfaciendo saluo si reus allegaret iustam et rationabilem causam super qua habeat auissum si causa alegata per reum sit iusta et merito exaudienda

LXX. *De ius redendo forensibus sumarium*

Item statutum est quod vnicuique forensi habere debenti ab aliquo de dicto loco seu ibidem residente redatur omni die non feriata ius sumarium et procedatur simpliciter et de plano contra reum subterfugiis et cauillationibus quibuscumque remotis priius prestita caucione ydonea de restituendis exspensis reo in casu subconbentie

LXXI. *De pecticione fienda integra per actorem*

Item statutum est quod ad instanciam partis vocate ad iuditium teneatur actor vno eodem tempore et vna uice petere dominis potestati et iudici vniuersam pecunie quantitatem quam habere debebit ocaxione vnius instrumenti si inde fuerit instrumentum et si non est instrumentum inde teneatur petere integraliter omne et

totum id quod possit dicere se habere debere ab illo seu ab illis quos fecerit ad iudicium (*sic*) vusque in hunc diem et qui contrafecerit cadat de omni residio quod non petit integraliter ab omni suo iure ipso iure et facto ita quod in ipso residio non petito perpetuo non audiatur nec possit eidem reddi ius per dominos potestatem et iudicem. Et predicta non habeant locum silicet quod cadat a iure suo in herede qui peteret ex persona defuncti qui cum sacramento iustam pretenderet causam ignorantio

LXXII. *De prescriptione vinginti annorum*

Item statuerunt et statutum est quod quilibet vndecumque sit qui per instrumentum publicum aliquam pecunie quantitatem habere debuerit ab aliquo de alladio et poderio eiusdem ipsam pecunio quantitatem teneatur et debeat petere ab ipso debitore seu debitoribus uel eorum fideiussoribus vusque ad viginti annos a die traditi instrumenti ipsius debiti connumerandos. Et intelligantur viginti anni inclusiue. Et qui non pecierit nec in iuditium deduxerit ius suum perseuerando vusque ad finem cause ita quod lix decidatur infra dictos viginti annos completos his ellapsis ipsum instrumentum debiti et omnia contenta in ipso sint vigore presentis statuti ipso iure et facto cassa vacua inepta et nullius ualoris penitus et momenti. Et predicta habeant et uindicent locum sibi in principalibus personis ad inuicem contrahentibus ita quod presens statutum non obtineat sibi locum ut supra in herede seu alio successore qui pretenderet causam ex persona defoncti sed illi heredi siue successori demum incipiant curere dicti viginti anni a tempore quo sciuerit et ad eius notitiam peruenerit aliquem sibi obligatum fore ex persona eius cui successit. De cuius scientia et notitia suprascripta stetur sacramento eiusdem heredis uel successoris. Insuper presens statutum non habeat locum in minoro viginti quinque annorum toto tempore sue minoris etatis sed incipiant eidem currere tempora vigintiquinque annorum cum ad legiptimam peruenerit etatem. Que legiptima etas intelligatur completis vigintiquinque annis. Nec habeat locum idem statutum in aliquo instrumento causa recepcionis dotis alicuius mulieris contraeto. Nec in muliere que deberet habere dotes suas uel aliquid pro dotibus suis contra quas vulla nociva prescripcio currat. Circa quibus nullatenus dicta prescriptio viginti annorum curat nec vullum babeat effectum uigore presentis statuti. Et quod dictum est supra de eo qui habere deberet aliquam pecunie quantitatem idem intelligatur de eo qui deberet habere vinum ferrum furmentum uel aliud quid simile. Et in omnem casum detrahatur et detrahi debeat de predicto tempore viginti annorum omne tempus guerre si qua foret quod absit propter quam non rederetur ius in loco ita quod toto tempore ipsius guerre ipsa prescriptio viginti annorum non ambulet passu sed dormiat in pace

LXXIII. *De iudichatura et contrastatura soluendis potestati*

Item statutum est quod soluatur iudicatura potestati siue data per actorem et soluatur pro libra contenta in petitione et instrumento sine libello productis coram potestate ipso denarios duodecim pro libra. Et reus soluat totidem pro contrastatura. Et similiter in sequestris que assendunt a libris tribus supra capiatur et habeat potestas denarios duodecim pro libra. A libris tribus infra habeat potestas pro sequestro grossum vnum qui grossus soluatur per reum si de iure conuincetur si non soluatur per actorem

LXXIIII. *De soluendo notario pro suo labore*

Item statutum est quod soluatur notario curie pro quolibet termino et precepto scribendo et ponendo in actis curie denarios octo. Et pro libello ponendo in actis soldos quatuor. Et pro quolibet teste recepto et examinato grossum vnum. Et pro quolibet instrumento producto et posito in libris curie soldos quatuor. Et pro quolibet capitulo parti petenti exstracto de volumine statutorum et dato soldos duos. Et pro quolibet saximento scripto in libro et exstracto et dato petenti grossum vnum. Et pro qualibet crida ad instantiam partis seu precepto scripto et traditis (*sic*) parti soldos duos. Item pro quolibet memoriali medium grossum. Et pro scribendo contumatiam in libro denarios quatuor. Et pro qualibet condempnatione leuata in publica forma denarios duodecim pro libra. Et pro qualibet fideiussione recipienda tam in ciuilibus quam in criminalibus medium grossum. Et pro quolibet folco scripturarum dato parti ipsum petenti soldos duos et hoc intelligatur in scripturis ciuilibus in criminalibus secondum enormitatem criminis

LXXV. *De pignore dando potestati pro data*

Item statutum est quod de quacumque causa pecuniali seu alia re mobili uel inmobili de qua in causa ciuili in ipso actu de presenti detur pignus date seu iudicature et contrastature potestati seu locumtenenti sumptibus partis subconhentis in causa. Quod tamen pignus redimi non faciat nec facere possit quousque lis fuerit contestata aut causa fine debito terminata

LXXVI. *De terminatione cause fiende intra II menses*

Item statutum est quod in omni causa et de omni causa ciuili pro et de qua coram potestate agatur in iudicio assendens ad libras decem et de libris decem supra non patente publico instrumento terminetur infra duos menses a die dato libello (*sic*). Et facta petitione statuatur terminus octo dierum reo ad contastandum litem afirmando uel negando uel talem fecisse produxisse et ostendisse excusabilem ex-

ceptionem quod dicta questio habeatur decidi et non subiterfugia vantillari et si infra dictum uel saltim in dicto termino nullam fecerit exceptionem uel saltim talem qua causa decidi possit habeatur lix pro contestata et assignetur terminus octo dierum precisse et perhentorie actori produxisse et ostendisse veram et declaratam causam quam habet contra reum et si produxerit condempnetur reus ad soluendum debitum et quantitatem in libello contentam et si non produxerit et nec ostendiderit iustam et declaratam causam absoluatur reus et dicto reo restituat actor exspensas. Si uero reus condepnabitur in quantitate contenta in libello ut supra condempnetur in exspensis factis soluendis et restituendis actori per reum predictum. Si uero actor dixerit se velle probare per testes statuatur terminus octo dierum actori ad nominandum testes et ad tradendum capitola super quibus debent testes examinari et possit dari copia reo si ipsam duxerit postulandam pro faciendo interogatoria et data reo copia capitulorum statuatur terminus octo dierum reo ad tradendum interogatoria et traditis interogatoriis examinantur testes super capitulis et interrogatoriis. Et facta et completa examinatione testium citentur partes audituras et uisuras testium publicationem et facta publicacione testium detur copia reo si eam duxerit postulandam et statuatur terminus roo octo dierum ad oponendum quid oponere uoluerit tam contra dicta quam contra personas dictorum testium. Et producta opositione per reum statuatur terminus octo dierum actori ad replicandum. Et facta replicatione per actorom statuatur terminus ambabus partibus ad tradendum eorum alegationes et ad producendum tam in iure quam in facto et ad dandum suspectos et confidentes et denarios pro consultore. Et statuatur terminus ambabus partibus decem dierum ad audiendum ius dici et ille terminus sit comunis. Quos terminos domini potestas siue iudex nullo modo possint prorogare sed pocius abreuiare inspecta qualitate personarum et cause et prout videbitur experiri

LXXVII. *De iure redendo exspedito cuiuslibet officiali ius petenti*

Item statutum est quod omnibus officiariis comunis constitutis petentibus in iudicio eorum officii et laboris remunerationem et salarium eisdem per dictas comunitates debitum et conuentum ipsorum audita petitione cuiuslibet eorum salarii cogendo eisdem dare debentes soluturos sibi infra tres dies a die petitionis inclusiue complendos per cridam preceptum banna et penas execucioni imponenda et mandanda

LXXVIII. *De pignoribus captis in solutum redimendis*

Item statutum est quod si quis fuerit pignoratus ad instantiam alterius ab eodem habere debentis quauis ocasione et illa persona ad instantiam cuius leuatum fuerit pignus requirat dictum pignus redimi tunc per potestatem assignetur terminus reo debenti a quo sit pignus leuatum quod eum redimat et redimere debeat infra decem

dies precisse et perhentorie alias substantetur et ponatur dictum pignus ad inchantum per tres terminos iurisdicos in loco iuris voce preconia positum ad incantum citato in quolibet termino ad uidendum poni pignus suum ad inchantum ad vendendum et tradendum et plus offerenti detur. Ita quod si dictum pignus plus ualuerit pretio huius pro quo traditum sit deductis exspensis inchantus et eorum que actor fecerit pro exequicione debiti illud plus quod superfuerit debitori restituatur. Et e conuerso si dictum pignus non valuerit id quod habere debet creditor debitor debeat et teneatur emandare et restituere vusque ad plenam satisfationem debiti dapnorum et interesse. Et hoc statutum locum habeat inter conuicinos dicti loci et aliorum quorumcumque forensium et habere debentium ab hiis seu aliquo eorum de dicto loco saluo et reseruato de forensibus laboratoribus et offitiariis comunis quibus habere debentibus sumarie et de plano simpliciter fiat iustitie et exequicionis complementum solutionis eorum seu huius quod habere debuerit terminis et dilationibus et subiterfugiis quibuscumque amotis exclussis et penitus resechatis

LXXVIIII. *De hiis qui citati fuerint ad iudicium et fuerint contumaces*

Item statutum est quod si quis alterum citari fecerit coram potestate ad ius eidem responsurum et se non presentauerit soluat pro contumacia pro quolibet et qualibet uice uusque in tercium terminum denarios duodecim pro quolibet termino de quibus in qualibet contumatia sui pignoretur sine dilatione et cogatur soluere. In tertio uero termino citatus et non comparuerit condempnetur ut contumax in eo et de eo quo actor petierit et fidem fecerit se ab eodem reo habere debere. Et dicta condempnatione facta assignetur terminus reo pro sui contumatia condempnato decem dierum precisse et perhentorie oponendi et faciendi iurisdicam suam defensionem et sententie contraditionem alias dictis decem diebus ellapsis dicta sententia per contumaciam latam executioni mandaretur (*mandetur*) ac si per confessionem lata et facta esset alium in contrario non obstante. Item etiam et uersa vice si actor non comparuerit artando (*sic*) reum et reus autorem acusauerit contumaciam soluat ipse actor contumax pro quolibet et qualibet uice denarios duodecim et exspensas reo restituat arbitrio potestatis et taxa condigna obseruata

LXXX. *Quod potestas executioni mandet santentias latas per potestatem precedentem*

Item statutum est quod potestas requisitus executioni mandare ad instantiam euya intererit sententiam per potestatem precessorem suum latam et non executioni mandatam teneatur eandem sententiam executioni mandare assignato tantum priius termino reo in dicta sententia nominato et condempnato decem dierum ad oponendum et exceptionem suam et defensionem faciendum quare dicta sententia non debeat seu veniat executioni mandanda aliter debito fine exequatur nichilo contradicto iurisdico seu facto

LXXXI. *De fide danda seruitori curie*

Item statutum est quod credatur seruitori curie exsperto constituto in de omnibus relationibus suis que (*sic*) tam per cridas quam oretenus publicando seu mandando et referendo in libris actorum scribendis scriptis et non scriptis et eorum omnium et singulorum que ad officium suum exercendum pro curia et regimine potestatis et consulum rei publice causam pertinentibus pertinere et spectare debentibus

LXXXII. *De sacremento chalumpnie dando reo et actori*

Item statutum est quod sacramentum calopnie deferatur lite contestata et non ante partibus litigantibus ad inuicem coram potestate nixi ante litem contestatam petitum fuerit dari dictum sacramentum et deponi de uoluntate partium et cum deferetur dictum sacramentum de uoluntate partium post litem contestatam tunc declaratur dictum sacramentum et detur primo actori per hec verba: iurabis ad sancta dei euangelia tactis scripturis si deus te adiuuet dicere et dices uerum in causa quam presentem habes cum reo de hiis que te interogabo nicil falxi dices nec mandacii et quod non petes nec peti facies dilacionem siue terminum unde lis prorogetur et quod non produces nec produci facies testes instrumenta indicia nec quidquam aliud propter quod seu que causa habeatur impediri et fine iuridico terminari. falsitate dolo seu calditate non vteris in causa nec rogabis nec rogari facies nec precari. dabis nec promites dari et promiti non facies nec facienti consenties quod falsa sententia detur siue pro quo iustitia fieri ocupetur uel indulgetur sed semper uteris propria et sincera ueritate scripturarum instrumentorum testium inditiorum petitionum et causarum verborum et opinionum. Et ita eo quoquo modo delato iuramento actori primo secondo deferatur reo sub hiis verbis super declaratis et specificatis reo sacramentum cum sacramento dato utrinque parti et recepto ab eisdem asignetur actori in causa terminus pro prima dilatione probandi de iure suo et reo se presentandi in ipso termino audituro que actor producet in causa et inde sequatur stilus iuris equo modo et deliberata fide ne questio per interualla et subiterfugia uentilletur

LXXXIII. *De decisione fienda in causis minimis*

Item statutum est quod quia sepe inter partes agitur et questiones minime uantilantur quod in causis minimis et modici valoris fiat subita decissio et terminatio inspecto cause effectu instrumento non producto per iuramentum parti actori deferendo et actore recusante iuramentum prestare reo deferatur et fiat questionis abcissio et decissio. Et hoc statutum locum habeat in ciuilibus causis tantum et non in criminalibus

LXXXIIII. *De re sequestrata pennes aliquem obseruendo*

Item statutum est quod si que res mobiles aput quem de dicto loco restata fuerit in sequestrum et posita in sequestro seu sasimento ad instantiam habere debentis teneatur et debeat persona que rem ipsam poni fecerit in sequestro et sasiri infra mensem a die sequestri seu sasimenti facti fieri fecisse declarari ot discerni ac verificari quare ipsa res potuit et debuit sequestrari et sasiri alias dicto mense ellapso illi cuius fuerit res ipsa exspedita liberetur contradicione alterius non obstante sequestrari facientis. Et si infra dictum terminum uel mensem ille aput quem sequestrum factum fuit rem ipsam liberauerit sine consensu illius pro quo sit in sequestrum posita nixi fuerit de mandato potestatis soluat pro pena et banno soldos sexaginta et teneatur consignare rem sequestratam uel saltim soluere prctium habere debenti cum omni dapno exspensas et interesse buius pro (*quo*) res fuit sequestrata

LXXXV. *De re danda in solutum creditori*

Item statutum est si contingerit rem inmobilem a reo seu debitore actori creditori suo dare insolutum quod ipse debitor siue reus rem ipsam insolutum datam illo precio pro quo data fuit habere et redimere possit infra annum et diem a die dati in solutum complendis dando et soluendo debitum dapnum et interesse creditori suo qui iam ipsam receperit insolutum

LXXXVI. *De vocando in iudicio et de fide danda*

Item statutum est quod si aliqua persona de alladio siue forensis que sit bone condicionis et famo vocauorit in iudicio aliquem de alladio coram potestate et soma sue peticionis assenderit ad florenum vnum ucl ab illa soma iufra quod illo talis vocator suo mediante iuramento et cum atestationo vnius testis fidedigni qui cum iuramento testificabit dictum vocantem habere debere a dicto vocato somam contentam in sua peticione obtineat sentenciam condempnatoriam in sui fauorem ot contra vocatum et quod potestas vissa peticione iuramento actoris ac vissa atestatione dioti testis condempnare debeat reum ad dandum et soluendum dicto actori somam contentam in sua petitiono vuna cum exspensis nullo alio capitulo in contrarium obstante

LXXXVII. *De penna ponenda in preceptis per potestatem*

Item statutum est quod si potestas qui nunc est et pro temporibus fuerit procedere voluerit ciuiliter contra aliquam personam de alladio pro suo facto uel ad instanciam alterius persone instantis et requirentis et procedere voluorit per precepta et penas quod imponat et ponere possit pro primo precepto penam solidorum

quinque. pro secondo penam imponat solidorum decem. pro tercio precepto imponat penam solidorum viginti. Et factis dictis tribus preceptis et ille contra quem processum est fuerit inobediens et vissa eius inobedientia quod dictus potestas debeat procedere ad executionem dictarum penarum et rei contente in dictis preceptis. Et si ille talis delinquens poneret se ad opositum et vetaret potestati quod non faceret talem executionem quod tunc vissa dicta contraditione potestas possit et valeat facere dicto reo duo alia precepta quorum vnus obtineat penam solidorum sexaginta alius obtineat penam librarum quinque quod soluere debeat penas per ipsum comissas et rem contentam in dictis preceptis. Et factis dictis preceptis quod ille talis inobediens personaliter capiatur et captus teneatur et non relaxetur quousque soluerit dictas penas et rem contentam in dictis preceptis. In criminalibus in rixis et cauilationibus potestas possit pro ipsis euitandis ponere et poni facere penas ad sui libitum voluntatis et quod possit mulctas facere et multare penas contra tales rixantes ad hoc quod metu pene tales rixantes abstineant se a rumore et a cauilatione

LXXXVIII. *De apellacionibus et quod quilibet possit appellare*

Item statutum est quod quelibet persona de alladio uel ibidem habitans contra quam per potestatem processum fuerit per precepta et contra quam lata fuerit sententia tam ciuilis quam criminalis possit a dictis preceptis et sententiis et a quolibet alio precepto et grauamine illato et facto per potestatem apellare ad dominos alladii ad illum uel ad illos ad quem uel ad quos dicta apellacio dignoscitur pertinere et instanter petere apostolos et literas dimissorias sibi dari. Et potestas teneatur dictam apellationem admittere si talis fuerit que veniat admittenda et apostolos et literas dare tali apellanti suis sumptibus dicti apellantis et admissa dicta apellatione potestas terminum statuat dicto apellanti trium dierum proximo futurorum ad capiendum dictos apostolos et literas dimissorias et ad rapiendum iter de presentando se cum dictis apostolis et literis dimissoriis coram dictis dominis. Et vnum alium terminum assignet dicto apellanti decem dierum proxime futurorum post primum currendorum ad reuertendum ad dominum potestatem cum literis inibitoriis continentie quod non amplius se intromittat de causa predicta quousque aliud habuerit in mandatis aut quod procedere debeat aut quid simile. Et si in dicto termino non conparuerit aut negligens aut contemptor fuerit ad presentandum se cum literis predictis tunc potestas transacto dicto termino possit et debeat dicta precepta ac sententias cum penis contentis in eis ponere executioni nixi ille talis apellans haberet iustam causam quam alegare possit et debeat infra dictum terminum alias mandat potestas precepta sententias et penas exequcioni nulla alia dilacione aparente

Deo Gracias. Amen.

Et Ego Thymoteus de albertaciis de Quargnento Alexandrie diocesis habitator Alladii Imperiali auctoritate notarius hec Capitola de mandato suprascriptorum dominorum et cum consensu tocius vniuersitatis loci aladii scripxi et me subscripxi cum apposicione signi mey in rey testimonium omnium premissorum presentibus Spectabilibus et Egregiis dominis Tadeo et Manfredo cumdominis Riperolii ex comitibus et Thome de dominis turis ex comitibus sancti martini testibus vocatis et rogatis et inde confeci publicum instrumentum sub anno domini M° CCCCXLVIII° die XX mensis Augusti.

RUBRICE

CAPITULORUM ET STATUTORUM

TERRE ALLADII

AN. MCCCCXLVIII.

Prezzo: Fr. 3.